DE
PLACENTAE INFLAMMATIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE V. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS BERGHAUS

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

TH. KRETZER, med. et chir. Dr.

JUL. NATORP, med. et chir. Dr.

J. FRESE, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PARENTIBUS

D I L E C T I S S I M I S

NEC NON

PRAECEPTORIBUS

ILLUSTRISSIMIS, AMPLISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS

SUMME VENERANDIS

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

EXIGUUM

ANIMI GRATISSIMI DOCUMENTUM

OFFERT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quicunque hoc opusculum lectione dignum habuerit, sane mirabitur, me in describenda materie tam ardua tirocinium posuisse, nam placentae inflammationes, sive diagnosin sive aetiologiam et curationem respicias, plurimum difficultatis offerre scribentibus, nemo erit, qui diffiteatur. In his etiam causam cerni existimo, quod pauci adhuc viri artis periti et doctrinae copia ornati animum ad hanc rem atttenderint itaque paucos tantum fontes, ex quibus tiro hauriat, aperuerint. Nihilominus ea, quae jam in lucem edita sunt, opera perlustrans, materiem dictam ad conscribendam dissertationem inauguralem non omnino ineptam esse, mihi persuasi. Proinde ad arduum opus, quod ipse profiteor, me accinxi et quid vires juveniles praestare possint, expertus sum. Nonnulla me apposuisse observationibus nondum satis confirmata, sed magis hypothetica, si quis contendat, repugnare non audeo, nam in re fere nova non statim omnia, quae traduntur, vero consentanea esse solent. Ne protinus Lectores in medias res deducam, opusculum in duo capita distribui, quorum primum de placentae morbis generalia proponit, secundum vero de ejus inflammatione singulatim disserit.

Cap. I.

GENERALIA QUAEDAM DE PLACENTAE MORBIS.

Quodsi probe meditamur, anatomiam pathologicam nostro aevo eo usque processisse, ut nullnm fere corporis organon supersit, cujus mutationes morbis inductae vel cultro anatomico, vel microscopio, vel chemicis adminiculis perquisitae non sint, mirum fortasse videbitur, placentam rarius illis investigationibus esse subjectam, quae solae morborum ejus indolem et diagnosin aliquantum dilucidare valent. Paucos medicos de placentae morbis scripsisse, jam in praefatione adnotavi et causam hujus rei magna ex parte in ipso organo, in placenta nimirum, collocandam esse haud dubito. Praeter unam enim monographiam, quam Wilde (De cognoscendis et curandis placentae morbis. Berol. 1833) edidit, modo commentationes aliquot de placentae morbis in annalibus medicis et obstetriciis prostant, quas Brachet (Des maladies du placenta etc. in: Journal général de Médicine. Tom. CII) et Stein jun. (Ueber die Krankheiten der Placenta etc. In d. Zeitschr. für Geburtskunde. Bd. V. Hft. 2) conscripserunt. Si causas in ipsa pla-

centa positas esse censemus, haec fere ratiocinari possumus; placenta ex toto abdita nec visu nec tactu explorari potest, sed tunc demum sensibus nostris offertur, cum functiones suas absolvit et ab organismo exterminatur, quod si fit, diagnosis morborum et mutationum, quae in ea reperiuntur, non eam utilitatem amplius affert, quam attulisset, si a principio morbi innotuisset et hujus evolutio fortasse prohiberi potuisset. Quum vero placenta totam per graviditatem, imo aliquanto post partum, priusquam nempe ex utero eliminatur, maximi sit momenti summaque observatione digna, medicorum obstetritiorum est, in mutationes, quas et ipsa subit et in gravidarum corpore producit, diligentissime inquirere. Compositam esse scimus placentam e vasis sanguiferis, quae tela cellulari atque fibrosa in massam spongiosam congeruntur. Tametsi structura ejus satis simplex apparet, tamen iisdem morbis, quibus alia organa, tentatur, praesertim affectionibus, quibus submittuntur pulmones, quippe qui per functionem suam, nempe sanguinis mutationem, cum placenta maxime consentiant. Sed compertum quoque habemus, placentam glandularum morbis obnoxiam esse, quod mirum nobis videbitur, si animo perpendimus, sententiam eorum anatomiae cultorum, qui glandulas et vasa absorbentia ad uterum pergentia in placenta deprehendi asserebant, recentiorum scrutatorum conatibus esse refutatam. Quum autem placenta modo inferiorem texturae organicae gradum ostendat, morbi eam adgredientes in universum tales esse solent, ut ejus substantiam potius quam vires alienent; omnes autem eum habent effectum, ut duplicem placentae functionem, quippe quae partim in mutando sanguine, partim in foetu nutriendo cernatur,

disturbent vel subvertant. Accidit, quod iidem placentae morbi praegnanti mulieri semper detrimenta afferunt, non solum enim graviditatis decursum a norma avertunt, sed etiam partum difficiliorem, imo periculosum efficiunt. Haud dubie diagnosis morborum placentae multo majore cum probabilitate posset stabiliri, si ullum signum sensibus nostris se manifestaret, quo, quales placentae functiones statu naturali existant, certiores redderemur. Fateri autem oportet, omnia signa, quae ad placentae morbos referri solent, incerta esse atque dubia, quippe quae partium vicinarum affectionibus originem debere possint, quo fit, ut ne sedes quidem morbi certo definiri queat, etiamsi forte ejus natura cum probabilitate quadam definiri possit. Nonnulla fortasse symptomata semper adsunt, sed omnibus aut certe plurimis placentae morbis communia, quamobrem ex iis de singularum affectionum diagnosi nihil concludere licet. Wilde in libro laudato (Cap. II. pag. 14) „unicum, inquit, et pathognomonicum signum, fere omnibus placentae morbis commune, est dolor continuus, magis minusve gravis, qui ex uteri loco, ubi placenta haeret, incipit, ad lumbos, sinum pudoris femoraque propagatur." Idem auctor paulo infra addit: „sane unum quidem signum, dolor enim uterinus, ad placentae morbum penitus cognoscendum non satis est." Si reliqua intuemur symptomata, ut febris accessionem, inquietem et insomniam, ventrem inflatum et tactu dolorificum, motus infantis deficientes, signa abortus instantis etc., quae variis in casibus placentae morbos post partum observatos antecesserunt, haud magni sunt momenti, quia nihil habent constantiae. Quaeritur autem, numne auscultatio, quam inprimis Laennec et Lejumeau de Kergaradec coluerunt, diagnosin horum

morborum aliquantum illustratura sit. Lejumeau nempe pulsationem simplicem, regularem, matris pulsui contemporaneam, conjunctam cum strepitu quodam folliculari, qui in nonnullis cordis et arteriarum majorum morbis occurrit, parvo loco plerumque circumfinitam, interdum tamen ab hoc discedentem, latius dimanantem et intermittentem, aliquatenus uteri partem designare existimat, cui placenta affixa sit. Alii simplicem illam pulsationem distinguere non potuerunt: obviam eam venire quidem concedunt, attamen a placenta aut arteriis uterinis circa ejus insertionem decurrentibus pendere dubitant. Quis enim, si res ita se habet, ejus intermissiones, loci mutationem atque dimanationem explicare poterit? Nec in placenta ipsa sedem collocare licet pulsationis, nam pulsui materno contemporanea est, quam ob causam, si opinioni illi suffragamur, cordi materno immediatam in placentam actionem adscribere debemus, id quod nemini in mentem veniet; non solum enim anatomia, sed injectiones quoque in aprico posuerunt, uteri gravidi vasa sanguifera haud directe ad placentam transmitti. Paucis allegabo sententiam, quam Dugés proposuit: placentam, ait, non pariter atque cor pro organo habendam esse, quod alternis contractionibus amplitudinem suam mutet, itaque pulsationes efficere non posse, cui opinioni nos plane adstipulamur. Sanguis per placentam, velut per vasa capillaria, quae ei sanguinem suppeditant, cursu aequabili circumducitur, id quod ex tota structura et functione evidenter patet. Proinde alii plus probabilitatis tribuunt sententiae ab Haus promulgatae, quippe qui pulsationis causam in aorta et arteriis iliacis collocet, his verbis utens: „pulsationis sonus plenus et clarus vix dubitationem admittit, causam ejus in vase sangui-

fero majore ponendam esse. Multas pulsationis simplicis variationes ad situm relativum pertinere existimo, quem uterus et foetus cum aorta aut arteriis iliacis alunt. Ceterum haec res nondum ita confirmata est, ut in auctoris verba jurare possimus.

Principium, cui morborum placentae divisio superstruitur, causae efficientes exhibent, quarum aliae vim hujus organi vitalem a normali actione avertunt, aliae autem, mechanicas injurias inferendo texturam corrumpunt, ex quibus proxima morborum divisio in dynamicos et organicos (fabricae vitia) profluit. Morbus dynamicus, quem vocamus, processus vitalis alienatione nititur, quae principii vitalis, seu virium vitalium offensionem directe excipit. Morbus organicus pari quidem modo processus vitalis anomaliam supponit, proxime autem turbatione mechanismi, i. e. fabricae organi, inducitur. Horum morborum alter alterum sequi, e. gr. inflammatio in mutationes organicas transire, morbus fabricae inflammationem provocare potest. —

Quodsi animum ad aetiologiam morborum placentarium in genere advertimus, hanc etiam multis adhuc tenebris premi, intelligimus. Inprimis causarum internarum disponentium fere ex toto sumus ignari, nam propria corporis muliebris constitutio, quae talem diathesin cum gravidis comunicet, a nemine hactenus describi potuit. Murat quidem (Dictionnaire des sciences médic. Tom. XLII. pag. 544) gravidas mulieres, phthisi pulmonali aut syphilidi per longius tempus obnoxias, ad morbos illos maxime pronos esse dicit, veruntamen debita argumenta desiderantur. Multo minus dirimere licet, quibus rebus hereditaria dispositio, si quis eam defendat, nitatur. Inter

causas occasionales externas haud dubie injuriae mechanicae principem locum sibi vindicant, quarum multae gravidam offendere possunt, ut lapsus, plagae et ictus ventrem percutientes, totius corporis conquassationes, permagnae virium contentiones, quaeque abdominis compressio aut violenta aut diuturna, e. g. vestimentis strictioribus haud elasticis effecta. —

Silentio praetermittendae non sunt causae atmosphaericae et diaeteticae, ut ventris pedumque perfrigeria, quibus suppressio diaphoreseos, inprimis sudorum habitualium, succedit; abusus ciborum et potuum irritantium, calefacientium, dyspeptorum et flatulentorum, nec non medicaminum simili ratione agentium, praesertim eorum, quae pellentia et abortiva vocantur. Denique psychicarum causarum, nempe animi pathematum, tam excitantium quam deprimentium, magna efficacitas. Haud minus quam diagnosis, ambigua esse solet praedictio, ceterum partim e morborum singularium natura, partim ex iis momentis metienda est, quae pathologia generalis respici jubet; ubi enim diagnosis aut nulla aut incertissima exstat, prognosin quoque in suspenso relinquamus necesse est. De curatione generali hic non disseramus, quum unusquisque placentae morbus, si cognoscitur, varias ejus modificationes expostulet.

Cap. II.

DE PLACENTAE INFLAMMATIONE.

Placentae inflammatio, seu placuntitis (a graeco πλακοῦς), non modo frequentissimam placentae affectionem, sed etiam plurimorum ejus morborum fontem atque causam exhibet, nam paucae illius organi alienationes emergunt, quibus inflammatio

vel acuta vel chronica non praecesserit, quamquam haec interdum adeo occultatur et tam lente serpit, ut neque medicus neque aegrota ullam ejus suspicionem recipiant. Nidulatur inflammatio, ut aliae inflammationes organorum parenchymatosorum, in vasis capillaribus, quae in placenta magnum evolutionis gradum adipiscuntur. Quum placenta, si recentiorum disquisitiones vera tradunt, nervorum inops sit, nihil hic valet nervorum gangliosorum systema, quod subtilissimos vasorum ramos comitatur, nutritionem et formationem maxime sustentat et, si in aliis organis inflammatio efflorescit, statim affectioni morbosae submittitur. Nihilominus deficiens nervorum irritatio minime prohibet, quominus dolor placuntitidi superveniat, nam ex adaucta organorum inflammatorum actione vitali, ex sympathia, quae in utero propter intimam cum placenta necessitudinem expergiscitur, ex insolita tensione et expansione, quam partes copiosiore sanguinis accessu et vasorum oppletione patiuntur, facile dolorem, quem aegrotantes conqueruntur, deducere licet. Praeterea observationibus edocti scimus, partes statu naturali omni sensu carentes, ut tendines, ligamenta, cartilagines, ossa, per inflammationes miro sensibilitatis gradu impertiri. Placentae natura peculiaris minime inflammationis indolem commutat, attamen ejus decursum atque symptomata, quae propter absconditam placentae sedem minus in conspectum prodeunt, aliquantum moderatur.

Primum symptoma, quo placuntitis se manifestat, dolor magis minusve intensus est, qui auctore Brachet (l. c.) per intervalla mitescit, tum recrudescens ad lumbos et femora protenditur; intermissiones tamen purae non sunt, semper enim morbosa sensibilitas remanet. Wilde, qui saepius hanc

inflammationem observavit, dolorem esse dicit urentem et haec de ejus sede scribit: „nonnunquam ab uteri fundo ad coxas utrinque percipiuntur dolores distendentes, qui incessu statuque erecto crescunt, at cubitu supino situque laterali aegrotis facilius indulgent.“ Gradus doloris maximam partem inflammationis stadio et variae aegrotantium sensibilitati respondet, nunquam autem tantam acerbitatem, quantam in metritide, obtinet; tactus quoque regionis affectae multo minus quam in uteri inflammatione dolet, cujus phaenomeni causa in spongiosa placentae indole cerni videtur. Affectio corporis, si acuta est placuntitis, topica non permanet, sed universa valetudo disturbatur, cujus rei testes sunt: febris, plerumque synochae mitioris characterem prae se ferens, languor et gravitas extremitatum, inprimis inferiorum, tensionis sensatio in femoribus; horrores utplurimum magnam habent intensitatem, aestus autem mediocris esse consuevit. Pulsus cum febris natura consentit, durus enim non est, sed duriusculus, tensus, satis frequens et celer; simul ciborum appetitus decrescit, sitis adaugetur, lingua tegmento albo obducitur, cutis arescit et calet, capitis gravitas et temulentia, somnus inquietus, nonnunquam angor quidam, oriuntur. Accedit etiam alvi obstipatio et nonnullis in casibus dysuria. Si abdomen tactu et palpatione examinamus, vix mutationem notatu dignam deprehendimus; ipsa temperies raro exaltata, interdum tamen tensio quaedam aut durities observatur. Inflammatione per aliquod tempus protracta totamque placentam occupante, quod minime semper accidit, mulieres nonnulla symptomata graviora, ut pressionis aut ponderis sensum in abdomine, vehementiores mingendi difficultates, imo ischuriam vel ardorem inter min-

gendum accusant. Motus infantiles, si antea locum habuerunt, vel ex toto desinunt, vel perexiles redduntur; veruntamen si aliae conditiones infestae deficiunt, si uterus ipse incolumis manet, placuntitis parturitonem raro turbare solet, molimina enim satis fortia haud nimis dolorifica ingrediuntur. Quod ad diagnosin summi quidem momenti, sed magni etiam negotii est, certa criteria proponere, quibus placuntitis ab aliis affectionibus, ut metritide, rheumatismo uteri, doloribus partum praesagientibus, possit discerni. In metritide dolores altiorem tenent gradum majorque exstat ventris sensibilitas, quae interdum ne contactum quidem ejus admittit.

Si superior uteri pars inflammationis sedem exhibet, exploratio externa duritiem ejus, tensionem et dolorem indicat, sin os et collum laborant, magni momenti est exploratio interna, quippe qua vagina sicca, orificium uteri dolens, nonnunquam thrombo mucoso occlusum, imo adeo tumefactum reperiatur, ut labium ejus anterius tanquam vesica ampla totam vaginam expleat. Molimina, si accedunt, inania et maximis doloribus conjuncta sunt, valetudo universa gravius turbata, febris enim majore intensitate conspicua, vultus decompositus, facies plerumque pallida et collapsa, inprimis si totus uterus inflammationi obnoxius est; ceterum partus metritide graviter turbatur. —

Rheumatismo uterino laborantes dolorem conqueruntur lancinantem in pelvi, a doloribus menstruationem comitantibus eo differentem, quod non per regionem sacram descendit, sed ligamentorum uteri rotundorum cursum sequitur, imo saepe ad musculos femorum vel abdominis protenditur. Accedunt horripilationes cum aestu fugace alternantes, et dysphoria univer-

salis, lingua obtecta, urina rheumatica, i. e. sedimentum roseum et reactionem acidam exhibens; febris tamen exquisita non semper adest (Schoenlein). Inter et paulo ante partum uterus et orificium ejus magna sensibilitate laborant, molimina parturientium brevia, intercepta, dolorifica apparent. Haec quidem molimina, quae etiam cum placuntitide confundi possunt, in regione sacra et lumbari ordiuntur, magnum et laboriosum exhibentia nisum ad regionem hypogastricam pergunt, tum ad genitalia externa, nonnunquam ad femora demittuntur. Per varia intervalla redeunt molimina, in uterum et ejus orificium vim suam maxime exhibent et per se nunquam motus febriles excitant.

De placuntitidis aetiologia, quemadmodum de causis omnium morborum placentarium, pauca tantum nobis innotuerunt. Dispositionem ipsa suppeditat graviditas, quippe quae sanguinis molem uberiorem ad systema sexuale, inprimis ad uterum, congerat. Si aetatis rationem habemus, multi experientiae testimoniis argumentari conantur, placuntitidem creberrime muliebribus inter vicesimum et tricesimum vitae annum iisque multiparis, supervenire. Propriam autem diathesin, quae individua corporis constitutione nitatur, demonstrari non posse, in primo capite retulimus. Quod ad causas occasionales spectat, hic etiam mechanicae primo loco ponendae sunt, nempe totius corporis conquassationes, lapsus in regionem sacram et dorsalem, injuriae abdomini illatae, praecipue plagae, ictus, compressiones, labores corporis intensiores, onerum graviorum allevatio aut gestatio, ventris constrictiones per fascias abdominales aut thoraces linteos altius descendentes. Quanquam enim placenta situ suo occulto ita defenditur, ut injuriis enu-

meratis immediate haud tangatur, tamen eaedem non raro occasionalem inflammationis causam praebent, quoniam majorem sanguinis impetum efficiunt, nisum formativum et vasorum capillarium, in placenta admodum evolutorum, actionem quam maxime exaltant. Psychici affectus eo potissimum detrimenta afferunt, quod sanguinis circulationem vel concitando vel retardando offendunt. Brachet inprimis iracundiam, terrorem subitaneum, sollicitudines crebras omniaque deprimentia animi pathemata, si saepius revertantur aut in longius protrahantur, magni facienda esse perhibet. Videmus igitur placuntitidis causas nihil fere ab iis discrepare, quae aliis etiam placentae morbis ansam praebent, nam aeque ac supra dictas huc referre licet perfrigeria, tam universalia quam partialia, ut pedum et ventris infimi, secretionum naturalium et habitualium suppressionem, alimenta nimis excitantia, spirituosa, medicamenta irritantia et calefacientia.

Decursus placuntitidis non semper idem est, modo brevior, modo longior, raro tamen magnam ostendit rapiditatem, id quod jam ex febrilium symptomatum indole colligere possumus. Sicut aliae inflammationes, ita etiam placuntitis varios sortitur exitus, quorum laetissimus est resolutio, quippe qua ineunte symptomata inflammatoria evanescant et normalis placentae conditio instauretur. Resolutionis spes affulget, si inflammatio incipiens bene dignoscitur idoneisque remediis tempestive impugnatur, si neque summa cum rapiditate evolvitur, neque ad insolitum vehementiae gradum evehitur, si febrilia non tantum, sed reliqua etiam symptomata decrescere incipiunt. Sin resolutio arcetur, inflammatio metamorphoses subit, quae postea in morbos substantivos abire longiusque

per tempus protrahi possunt. Harum metamorphosium frequentissima est suppuratio, de qua infra nonnulla disputabimus; rarius placuntitis in hepatisationem, indurationem, gangraenam vertitur.

De prognosi pauca apponere sufficiat, in genere enim infaustam, aut certe dubiam apparere novimus; nam placuntitis et infanti et matri periculum infert, plus tamen infanti. Inflammata enim placenta functionem suam gravissimam, nempe sanguinis mutationem et foetus nutritionem, non amplius rite administrare potest; spongiosa ejus textura irruenti sanguini haud debito modo resistit, quo fit, ut non modo ejus circuitus per vasa placentae capillaria, sed etiam inter matrem atque infantem offendatur, imo nonnunquam interrumpatur. Quodsi sanguinis mutatio necessaria in placenta non amplius perficitur, foetus vel in genere parum nutritur, vel humores, quos accipit, ad tuendam functionum vitalium integritatem inutiles sunt, quum sanguis venosus, qui per arterias umbilicales ad placentam provehitur, in hac debitam metamorphosin haud experiatur, sed a venae umbilicalis originibus, quae cum extremis arteriarum umbilicalium ramulis commercium alunt, resorbeatur et nulli fere mutationi submissus ad matris, tum vero ad foetus circuitum regeratur. Quibus facile explicatur, cur infantes talibus sub conditionibus editi utplurimum pallidi sint, emaciati, quin adeo tabescentes, etiamsi organa ejus omni morbosa mutatione destituantur. Si placenta inflammationi haud plane resolutae prius subjecta post partum excutitur, volumen ejus invenitur amplificatum, color livescens, tela solidior, non vere quidem indurata, sed pressioni magis resistens, praeterea digitis palpata solito facilius laceratur aut

perfringitur. Similitudo quaedam cum rubra pulmonum hepatisatione animadvertitur. quod mirum videri nequit, si analogam utriusque organi functionem reputamus. Mulieri gravidae placuntitis eo majora detrimenta infert, quo largior sanguinis collectio in utero et vasorum ejus turgescentia existit, nam placenta inflammatione correpta impedit, quominus latices ei adducti resorbeantur, quorum stasin facile metritis subsequitur. Accidere etiam potest, ut magnus sanguinis ad uterum impetus fibras ejus ad intempestivas contractiones incitet, itaque abortum proferat, qui foetum morti tradit, cum matre autem morbos secundarios perniciosos saepe communicat. Si placuntitis, nominatim superficiei uterinae inflammatio, uterum ipsum ad focum morbosum refert, id quod haud raro evenit, multis in casibus adhaesiones, varium ambitum et soliditatem habentes, remanent, quae ineunte partu et foetus et secundinarum eliminationem praegravant aut prohibent. Praeterea multa, quae in aliis etiam morbis consideranda veniunt, praesagium constituunt et modificant, ut gradus, natura, diuturnitas inflammationis, complicationes varii generis, locus inflammatus ejusque ambitus, corporis constitutio et vitae ratio, qua gravidae utuntur, causae disponentes et occasionales, multa momenta accidentalia. Experientia docere quoque videtur, anni tempus, quo placuntitis existit, aërisque constitutionem, quae tum temporis regnat, haud mediocrem efficacitatem exserere in prognosin. Plurimum denique interesse constat, quid auxilii et quo tempore aegrotantibus praestetur.

Auxilium, quod laturi sumus, therapiae praeceptis exacte respondeat, ergo certis indicationibus adstringatur necesse est. Proinde primum causae efficientes auferantur, vel ita repriman-

tur, ut inflammationem amplius sustentare nequeant, novae autem injuriae, quae accedere possint, sedulo prohibeantur; ipsa inflammatio iis impugnetur remediis, quae et ipsi et universae rerum conditioni respondent facillimeque resolutionem inducunt; symptomata singularia, quae prae ceteris eminent et fortasse periculum minantur, debellentur; denique convalescentia apto regimine victuque adjuvetur.

Ad exsequendam primam indicationem nos accingentes tam naturam quam intensitatem causarum efficientium percontari debemus, neque enim omnes auferri possunt, neque eandem medendi rationem exigunt. Altera parte contingere potest, ut causis tempestive impugnatis inflammatio primordia vix excedat. Exculta jam placuntitide, causali indicationi utplurimum remedia temperantia, emollientia, sedantia satisfaciunt, generatim ea, quae cum indicatione morbi probe consentiunt. Si causae ejusmodi sunt, ut auferri nequeant, aut si inflammatio ad summum evecta est fastigium, ad apparatum antiphlogisticum advertere oportet animum, ea quidem adhibita providentia, ut non topica tantum inflammatio, sed etiam reliqua corporis conditio pensitetur. Plerumque febris inflammationem concomitans praeter localem curationem eam medendi rationem efflagitat, quae generico characteri respondet et intensitatis gradu potissimum differt. Quodsi cum placuntitide vitalis debilitas universa exstat, ex hujus et topicae inflammationis gradu dirimere debemus, quonam gradu methodus antiphlogistica, quonam excitans adhibenda sit. Initio febris fere semper synochalem indolem prae se ferre consuescit, itaque methodum antiphlogisticam per totum ambitum requirit, quamobrem proximum est, ut venaesectio in brachio instituatur et, si quando opus sit, semel aut

saepius iteretur. Copiam sanguinis satis magnam detrahi oportet, ut ejus impetus ad placentam et uterum strenue inhibeatur. Quum infans sanguinis copiam, quae ad corpus suum nutriendum et evolvendum requiritur, retineat, itaque minorem quantitatem ad placentam remittat, quam per eam accipiat, facile est intellectu, ipsam placentam, si post diminutam universi sanguinis massam minorem ejus copiam accipiat, eandem autem, quam antea, ad foetum compellere pergat, mox vacuam reddi et inflammationem ejus infringi debere. Postquam status inflammatorius et febrilis aut plane subactus, aut ad minimum gradum detrusus est, inflammatio autem localis neque sublata, neque eodem gradu, ut febris, diminuta et ad resolutionem opportuna videtur, si potius symptomata ejus intensitatem relative majorem prae se ferunt, antiphlogosis universalis quidem restringenda, sed localis continuanda, praecipue hirudines et cucurbitulae cruentae ad locum affectum apponendae sunt. Si topica inflammatio tali curatione mitigata est, ad fomenta emollientia et relaxantia, ad cataplasmata, aut ubi haec in promtu non sunt, ad unguenta blanda et resolventia, ut unguentum hydrargyri cinereum cum oleo hyoscyami cocto vel pauxillo opii transeundum dictaque remedia ad perfectam inflammationis resolutionem administranda sunt. Interno usui medicamenta refrigerantia et erethismum demulcentia respondent, nimirum mucilaginosa et salia temperantia, inprimis solutio nitrosa cum mucilagine gummi arabici, cum aqua amygdalarum amararum, aut extracto hyoscyami. His cum fructu adjiciuntur aperientia et blanda purgantia, minime drastica; nonnullis in casibus alvi obstipatio clysmatibus emollientibus solvenda est. Ubi cutis ad transpirationem propensa apparet, balnea universalia tepida, tam

simplicia quam saponata et furfuracea, egregium usum praestant. Si dysuria aut ischuria accedit et mucilaginosis remediis non expugnatur, ad catheteris applicationem confugiamus oportet. Postquam inflammationis topicae vehementia sanguinis detractionibus diminuta est, calomelas locum sibi vindicat, quod aptissime cum parvis herbae digitalis portionibus conjungitur. Sunt quidem, qui calomelanos usu infantis vitam periclitari dicànt, sed perperam, etenim si illa sententia vero consentanea esset, experientia refutaretur, quae diserte nos edocet, calomelas infantulis ipsis in variis morbis datum facillime sustineri. Praeterea aegrotantes maximae corporis quieti et animi tranquillitati indulgeant, temperatura tepida, situ accommodato, cibis blandis leviter modo nutrientibus, utantur; potus aut aciduli et refrigerantes, aut si rerum conditio exigit, calidi atque mucilaginosi sint. Quibus in casibus placuntitis ex causa rheumatica originem duxit, modicae sanguinis detractiones instituantur et internis antiphlogisticis diaphoretica mitiora, ut ammoniacum hydrochloratum, liquor ammoniaci acetici, stibio-kali tartaricum, aut similia adjungantur; temperatura, in qua aegrotantes degunt, aliquanto calidior esse debet, quam in casibus superioribus.

Si systematis nervosi erethismus magnus exstat, sedandi causa narcotica quidem, praesertim opium, in usum vocari queunt, sed non prius, quam inflammatorius processus antiphlogosi debellatus est. Opium nunquam non manu suspensa praeberi oportet, d'Outrepont enim (Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. I. S. 112) disertis adnotat verbis, narcotica matri oblata effectus suos cum infante communicare; saepius a se observatum esse affirmat, opium tali

modo adhibitum dispositionem ad convulsiones infanti suppeditasse. Sententiam suam enarratis exemplis illustrat et observationes suas medicis practicis respiciendas commendat; plerumque enim, inquit, neonatorum affectiones ab aliis causis repetuntur eorumque nexus cum matris constitutione vilipenditur, licet satis compertum habeamus, infantes ab aegrotante matre editos multo minus ad sustinendam vitam opportunos esse quam eos, quorum matres bona valetudine fruuntur. Nemo reputare solet, morbos, qui statim post partum adoriuntur infantes, ex medicamentis matri oblatis originem ducere posse. Quae si meditamur, utique nobis persuadebimus, non solum opii, sed aliorum quoque narcoticorum effectum, si gravidis mulieribus sine certa indicatione exhibeantur, facile infantum valetudinem, imo adeo vitam, in discrimen vocare posse. — Nonnunquam placuntitidi asthenia universalis febrisque nervosa supervenit; quod si accidit, topica antiphlogosis, nominatim hirudinum applicatio, continuetur quidem, dum inflammatio persistit, factis autem sanguinis detractionibus vesicantia et sinapismi in usum vocentur, quippe quae non modo stimulos morbificos foras derivent, verum etiam nervorum systema excitent ideoque remediorum excitantium internorum usum sarciant. Sin autem nihilosecius interna excitantia requiruntur, ad ea confugere debemus, quae cordis et vasorum actionem leviter tantum exaltant. — Putrida febris indoles antiseptica imperari jubet, vim excitantem simul habentia, dum inflammatio topica per breve tantum tempus antiphlogisticis localibus impugnatur et haud multo post debilitanti medendi methodo excitans et roborans substituitur. Si convalescentiae stadium feliciter accessit, tam pharmaceutica quam diaetetica curatio et

residuis morbi superati et aegrotantis constitutioni viribusque adaptanda est eoque majorem attentionem desiderat, quo major ad reversiones dispositio locum habet.

Magni semper est momenti, ut provideat medicus, ne mulieres placentae inflammationi obnoxiae abortum faciant, quippe qui nunquam non metuendus sit. Nonnullos medicorum praejudicata opinione irretiri scimus, facto abortu focum morbi submoveri et placentae transitum in suppurationem, indurationem aliasque metamorphoses pathologicas arceri. Tantum vero abest, ut haec vero consentanea sint, ut potius summum inferatur detrimentum et non foetus tantum, sed matris etiam vita in discrimen vocetur. Haud parvus innotuit placentae inflammationum numerus, in quibus, partu normalem decursum persequente, foetus vita ne minimum quidem offendebatur, materque laetum absolvebat puerperium.

Jam de placentae suppuratione verba facturus sum, quae, ut supra memoravi, inflammationis haud resolutae exitum frequentissimum et naturae maxime consentaneum exhibet. Temere nonnulli contendunt, placuntitidem ab aliarum inflammationum norma eatenus recedere, quatenus raro in suppurationem abeat et abscessus formet. Si de abscessu sensu strictiore agitur, omnino iis assentimur, sed quemadmodum in omnibus organis e tela cellulosa laxa et spongiosa compositis, ita etiam in placenta facile ex inflammatione emergit suppuratio diffusa, quae, si pus colligitur, in ulcerationem transit. Qui ante dictam opinionem profitentur, causas, quod placuntitis raro in suppurationem transeat, in his positas esse existimant: si inflammationis gradus mitior est, aut resolutio aut status subinflammatorius subsequitur, sin vero gradus major, plerumque

prius intrat abortus, quam suppuratio evolvitur. Altera parte. si exempla meditamur. in quibus placentae inflammatio sine perspicuis causis exorta blandumque decursum persecuta in suppurationem abiisse perhibetur. propriam ad hunc exitum dispositionem, nimirum diathesin purulentam sic dictam, locum habuisse, fortasse suspicabimur. Brachet singularem describit casum, quo placuntitis, eidem mulieri bis superveniens, semper suppuratione terminabatur. Prima vice illa mulier, quum inter sextum et septimum graviditatis mensem in pavimentum saxeum gravius cecidisset. abdominis et regionis lumbaris dolores acerbos sensit. quibus coacta per aliquot hebdomades in lectulo recubuit et antiphlogisticis curata est. Elapsis septem hebdomadibus post illatam injuriam. dolores ad partum genuini intraverunt et partus feliciter cessit; infans editus quidem imbecillus erat. sed mox ejus vires instaurabantur. Placenta, postquam protracta erat, volumen solito majus ostendebat, in facie ejusdem foetali eminentiae duae albo-sordidae. ovi columbini amplitudinem habentes. animadvertebantur, materiam continentes lacteam, quae puris genuini spissiusculi notas characteristicas prae se ferebat. Parietes neque cystidis, neque texturae membranosae indicia ostendebant, quare hic de veris abscessibus cogitandum erat. Interposito anni spatio eadem mulier rursus concepit et quum graviditas paene decursum absolvisset, in aegrotationem incidit, dolores nimirum abdominis, lumborum et regionis sacrae accusans. Octo diebus post motus infantis desierunt et hebdomade iterum interjecta partus locum habuit; infans tamen mortuus edebatur et epidermis hic illic soluta erat. Placenta valde amplificata in facie foetali magnam obtulit copiam materiae purulentae

sanguine intermixtae, quae sub tunicis placentae sedem habuit: superficiei secretoriae fundus admodum inaequalis apparuit. Ipsa placentae substantia maximam partem solida atque friabilis inter canam et rubram hepatisationem medium tenebat. Tunicae, quae a suppurationis foco proxime aberant, crassae et pelluciditate destitutae inveniebantur, colorem languido-albescentem, paene margaritaceum offerebant. Quodsi hunc casum cum priore comparamus, diffiteri nequimus, in hoc diffusam potius placentae suppurationem quam abscessum exstitisse.

Transitus inflammationis in suppurationem non sine summa difficultate cognoscitur, hanc tamen accessuram esse suspicari possumus, si inflammatio debito longius protrahitur, si crises nec universales neque locales, aut imperfectae tantum, in conspectum prodeunt, si dolor fit pulsans et gravitatis aut ponderis sensus in ventre infimo adaugetur. Constans suppurationis exortae criterium esse solent horrores intercurrentes, aestu fugace excepti, qui infaustis sub conditionibus in febrem hecticam verti mulieremque morti tradere possunt.

In universum placentae suppuratio matri non tam infesta est, quam primo obtuitu videtur, inprimis si angustis finibus circumscribitur, semper autem periculosa foetui, utpote qui, si mortem effugit, semper infirmissimus valdeque macilentus excutitur.

Curandi methodum rationalem semperque proficuam vix instituere licet, sed corporis universi conditio prae ceteris respicienda est. Proinde, quum vires semper suppuratione labefactentur, nutrientia et roborantia interne imperanda sunt, praecipue diaeta nutriens, non excitans. Ineunte febre he-

ctica, cum roborantibus medicamentis acida mineralia, inprimis hydrochloratum et phosphoricum, quae simul sanguinis orgasmum temperant ardoremque febrilem coercent. Quum incipiente suppuratione localis inflammatio adhuc vigeat, remediis topicis emollientibus et sopientibus opus est, cui scopo fomenta et cataplasmata calida, nec non balnea tepida optime respondent. — Gravius imminet periculum, si, exorta placentae suppuratione, passim quoque gangraena evolvitur, id quod in iis locis fieri potest, quae maximo inflammationis gradui obnoxia erant, dum loca levius inflammata suppurant et serius ulcerantur. Placenta tali modo affecta modo fuscum, modo coeruleo-viridescentem exhibet colorem, imo interdum nigricantem, telam emollitam et compagem omnino destructam, ex qua sanies fusca aut nigrescens, odoris foetidissimi scaturit. Infans semper interit, quamobrem curatio id tantum debet moliri, ut mater incolumis servetur. Interna, quibus utimur, medicamina eas habeant virtutes, ut viribus succurrant et sanguinis corruptelam arceant, quare acida mineralia, cum tannicis, e. gr. cum chinae cortice aut ratanhae radice conjuncta, inter omnia principem locum tenent; eodem cum fructu extractum ferri pomatum ejusve tinctura praescribuntur. Quod ad externa pertinet, abdomen spirituosis et aromaticis remediis perfricetur, nec non balnea aromatica et martiata in usum vocentur. Ut corrigatur foetor, quem sanies spargit, injectiones humorum antisepticorum et balsamicorum, ut liquoris chlori, acidi pyrolignosi, decocti corticis chinae aut quercus, quibus myrrhae liquorem addere licet, per vaginam administrentur.

VITA

Ego, Guilelmus Berghaus, confessioni evangelicae addictus, in praedio Herbede, prope Bochum, oppidum Provinciae Guestphaliae die XXIV mense Augusti a. MDCCCXXIV natus sum, patre Guilelmo, matre Anna Christiana e gente Schulte Overberg, quos parentes adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Primis literarum elementis partim in schola publica partim privata disciplina imbutus, Gymnasium Hammnense et Tremoniense frequentavi per quatuor annos. Tempore paschali anni MDCCCXLV maturitatis testimonio instructus ad almam universitatem Heidelbergensem me contuli ibique ab Ill. de Vangerow, prorectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus sum. Per tria semestria hisce scholis interfui:

Ill. Blum de mineralogia;

Ill. Bischoff de botanice;

Ill. Delffs de chemia;

Ill. Jolly de physice experimentali;

Ill. Plattner de zoologia;

Ill. Nuhn de osteologia;

Ill. Tiedemann de anatome tam generali quam speciali, quo eodem duce in cadaveribus secandis usus sum;

Ill. Henle de splanchnologia, neurologia et de physiologia.

Tum tempore auctumnali a. MDCCCXLVI Halas Saxonum adii, ubi ab Ill. d'Alton, t. t. rectore magnifico civibus academicis adscriptus hisce interfui lectionibus:

Ill. Hinrichs de psychologia;

Ill. Erdmann de logice;

Ill. Krukenberg de pathologia et therapia tam generali quam speciali;

Ill. Blasius de chirurgia et de akiurgia et theoretica et practica;

Ill. Volkmann de physiologia, de anatomia comparata, de historia evolutionis;

Ill. Friedlaender de pharmacologia, de arte formulas rite concinnandi;

Ill. Krahmer de auscultatione et percussione.

Praeterea scholis clinicis et medicis et chirurgicis Ill. Krukenberg et Ill. Blasius interfui.

Tum vero tentamine philosophico superato m. Aprili a. MDCCCXLVIII Berolinum abii, ubi a rectore magnifico Ill. J. Mueller in civium academicorum numerum receptus apud Ill. Juengken, decanum ordinis medici maxime spectabilem, nomen professus sum.

Disserentes audivi.

Exp. Nicolai de medicina forensi;

Exp. Schoeller de arte obstetricia.

Scholis clinicis Ill. Busch, Ill. Juengken, Ill. Romberg, Ill. Schoenlein, Ill. Langenbeck interfui.

Quibus omnibus viris de me optime meritis gratias quam possum maximas ago.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut hac dissertatione una cum thesibus publice defensa summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

I.

Omnia signa, quae ad placentae morbos referri solent, incerta sunt atque dubia.

II.

Omnia graviditatis signa, seorsim spectata, fallacia sunt.

III.

Fistulam artificialem ventriculi in strictura oesophagi non semper rejiciendam esse contendo.

IV.

Galli de craniorum formatione theoriam falsam esse contendo.

V.

Crusta phlogistica non est signum pathognomonicum inflammationis.